I.

„ Fidejussor (inquit JULIANUS *in princip. leg.*
„ 16. *ff. de fidejuss.*) obligari non potest ei,
„ apud quem reus promittendi obligatus
„ non est: quia fidejussorum obligatio (sic regulam â JULIANO datam illustrat IMPERATOR *in*
„ §. 5. *Instit. de fidejuss.*) est accessio principalis
„ obligationis; nec plus in accessione esse potest,
„ quàm in principali re. „

2. Ut ùt vero universè sit accepta, sitque adamata omnibus dicta regula; constantiæ laudem ei surripere non erubuêre interpretes nostri; & quidem (quod mireris) prorsus omnes. Audiamus unum; farragine ne simus molesti. Alia quæstio est (ità Celeberrimus STRICKIUS *in usu mod. pand. tit. de fidejuss.* § 8.) „ Si pupillus, mi-
„ nor, furiosus, prodigus, similésque contractum
„ sine tutoribus & curatoribus celebrent, atque
„ tertius quispiam pro iisdem fidem suam inter-
„ ponat, an hìc tertius tanquàm fidejussor oblige-
„ tur? affirmativè respondet ULPIANUS *in leg.* 25.
„ *ffb. tit.* nempè magis esse, ut ejusmodi fideju-

 „benti

„ benti non ſubveniatur. „ Hoc ſi ita; conſequens eſt, ut fateamur, vacillare regulam; atquè largiamur plus eſſe in acceſſione, quàm ſit in principali obligatione.

3. Negant quidem id evenire communis ſententiæ propugnatores; ſed adeò ſine ſale negant, ut hoc ſolo doctrinæ ſuæ prodant, cariem. Non obſtat (ſic idem STRICKIUS *dict. loc.*) „ quod „ pupillus non obligetur; & ergo, ubi nulla obli- „ gatio principali adeſt, ibi nec acceſſoria concipi „ queat. Reſpondetur enim primò, quod... fide- „ juſſor animo donandi interceſſiſſe videatur, „ & ſic in effectu ipſe reverà debitor principalis „ ſit. Deindè verò notum eſt, quod pupillus na- „ turaliter obligatus eſſe, dicatur: non quidèm „ eo effectu, ut ipſe ſolvere teneatur; ſed tantùm „ in præjudicium tertii, ùt fidejuſſoris, qui ſibi „ imputare debet, quod pro tali debitore „ fidem ſuam interpoſuerit. *Vide leg.* 127. *ff.* „ *de verb. oblig.*

4. Aliis alii (ne & ipſi vel IMPERATOREM vel JULIANUM offendant) utuntur verbis; dicentes, fidejuſſorem pupilli non quidem duriùs obligari, quàm debitor principalis; obligari tamen arctiùs: ea nempè vincula, quæ minus ſtringunt pupillum, eſſe

esse in fidejussore validissima. Unde statuunt, fidejussorem pupilli magis *intensivè* quidem, non verò *extensivè* magis obligari, quam sit obstrictus debitor principalis. Atquè hac arte & JULIANI regulam servari, & leges inimicas (quas sparsim producemus) cum eadem componi, putant.

5. Verùm quò magis rem explicare conantur, eò longius â germano legum sensu, veráque ratione recedunt. Hoc igitur ut ostendamus, atque ita dictæ regulæ servemus constantiam, ibimus per singulos, quos in exceptione ponunt Adversarii.

CAPUT I.

DE FIDEJUSSORE PUPILLI.

6. Pupillum (majorem quidem infantiâ, pubertate tamen minorem) remoto tutore contrahentem, ne vel naturaliter obligari fatentur omnes. Et quidni fateantur? Siquid enim in obsequium præcedentis obligationis solvit, ceu indebitè solutum repetere potest. „ Quod pupillus (verba „ sunt NERATII *in leg.* 41. *ff. de condict. indebit*) „ sine tutoris authoritate promiserit, solverit, re„ petitioest; *Quia nec naturâ debet.* Gemina habet LICINIUS RUFINUS *in leg.* 59. *ff. de oblig. & act.*